

/ Reverende Pater. Ex litteris R.Vestrae datis die 8 februarii,  
 quae tamen mihi tardissime redditae sunt, magnam animo voluptatem  
 cepi, quod ex iis intellexerim isti monasterio datum esse priorem  
 a provinciali Franciae, et quod R.Vestra ad reformandum monaste-  
 5 rium animum adiecerit. Iam enim desperare incipiebamus de statu  
 Celestinorum in Belgio; et quamvis apud Summum Pontificem egerim,  
 ne monasterium istud daretur Carmelitanis, tamen cogitare incipie-  
 bamus de transferendis isthuc monachis alterius ordinis bene re-  
 formati. Quare nihil Summo Pontifici, et mihi gratius accidere po-  
 10 terit, quam si audiamus monasterium Coelestinorum in Belgio iterum  
 florere spirituali, ac vere coelesti conversatione. Quod attinet  
 ad ducem Arscotatum non est visum Summo Pontifici expedire, ut is  
 hoc tempore a nobis admoneretur, sed ut R.V. primum vel per se,  
 vel per aliquam aliam personam illum admoneret; et postea, si opus  
 15 erit, vel nos ipsi ad eum scribemus, vel per nuncium apostolicum  
 admoneri curabimus; sed nihil magis illum movebit, quam monasterii  
 spiritualis, vera, et solida reformatio. Valeat R.V. mei memor in  
 sanctis precibus suis. Romae die 28 Aprilis 1608.

~~~~~

Epist.fam. LX. Ioanni Hermann.

K

*Heverle*